

205

203

209

199

cus, Theophilus, Thyrus medicus et caeteri plures, qui omnes
grandia opuscula de nostra theologia composuerunt.

Tertio terra Aegypti ultra omnes mundi partes plures habuit
confessores, monachos et virginum choros, partim in civitatibus
et villulis commandantes, partim in vasta eremo degentes inter sanc-
tissimos patres. Nam in superiori eremo Anacharius claruit, in
inferiori alias Macharius, in Sciti Isidorus, in cellulis Pambo,
Moyses in Nitria, Paulus in Apeliota, in Focis alias Paulus, Joseph
in Pispiri, demtis aliis, Paulo, Antonio, Maria Aegyptiaca, Euge-
nia Syncletica, Sara, sanctissimis Aegypti foeminis. Non erat
villula aut oppidum in toto Aegypto, quod careret monachis. In
civitate Oxiruito erant plurima monasteria, et ipsa civitas intus et
extra (141 a) monachis erat plena, ita, quod etiam in turribus
civitatis residerent et super portarum fortalitia. Qer quemcum-
que vicum quis ibat, undique voces psallentium audiebat; non
tamen clerici erant, dicit enim Gratianus XVI. qu. 1. superiori
annot. in fine, monachos usque ad tempus Eusebii, Sosimi et
Siricii monachos simpliciter et non clericos fuisse, ecclesiastica
tradit historia. Unde et Hieronymus dicit, monachos in Sciti con-
venisse in unum, ut sacerdotem sibi invenirent, qui eis missarum
solemnia celebraret. Non ergo erat grave regionibus, monachos
esse, quia instantissime laborabant nec mendicabant, sed mendi-
cis subveniebant. Unde dicit Hieronymus, quod Aegypti pauperes
non sufficiebant monachis, ut eis providerent, et eleemosynas ad
longe positas regiones transmittebant ditatis per eos Aegyptiis,
nihil enim sibi retinebant, nisi quod pro praecissimo victu
et vilissimo vestitu et parvissimo tuguriolo deseruire poterat.
In praedicta ergo urbe erant XX millia virginum et XIV millia
monachorum. In Nitria, ubi nitrum colligitur, erant C mo-
nasteria; ibi erant magistri, patres, abbas Johannes, abbas Hor,
Abbas Amman, qui erat pater trium millium monachorum, et sanctus
Apollonius, pater quingentorum monachorum, et Serapion, pater
decem millium monachorum, et Theanos, pater trium millium mo-
nachorum. In una Aegypti civitate erant XII monasteria virginum.
In alia civitate erat monasterium CCCC virorum, et aliud mona-
sterium CCCC foeminarum, et haec duo monasteria per Nili bra-
chium erant divisa. Et S. Macarius habebat in uno monasterio
MCCCC viros. Multa talia habemus in vitis patrum, ubi Aegypti

214

194

254

154

304

104

Ende

Anfang

